

Biblioteca estense universitaria

Largo S. Agostino 337

I-41121 Modena MO

Tel ++39 + 59 222248

Fax ++39 +59 230195

b-este@beniculturali.it

<http://bibliotecaestense.beniculturali.it>

alfa.y.2.16.4

ANGELI, BONAVENTURA <m. 1576>

De vertigine et scotomia

Gadaldini, Modena [1565?]



(A)  
BONAVENTURA  
ANGELVS FERRARIENSIS

PARTICVS ACADEMICVS

DE VERTIGINE,  
ET SCOTOMIA.



BIBLIOTHECA  
COMITIS  
MODENA

VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

Excudebant Mutinae Paulus Fratresq;  
de Gadaldinis.

*S. Bartholomaeus a Baynacabris*

78  
17  
77  
5  
72  
59  
63  
78  
40  
53  
8  
91  
8  
67  
[  
BONAVENTURA ANGELVS  
Particus Academicus Iulio  
Pigantio S. D. P.



OLEBAM uehementer, do-  
luiq; diu Piganti charissime,  
quod cum peræquē te Iuliumq;  
Scotum amauerim, non hacte-  
nus data facultas fuerit, quem-  
admodum illi mea de Iure con-  
sultorum nominibus edita,  
nuncupaueram, tibi uicissim dicandi quidpiam,  
ut testimonium mei in te singularis amoris, bene-  
uolentiæq; Verum hic meus animi cruciatus in-  
credibili cum letitia tandem mutauit statum, na-  
tus est mihi nanq; inopinatus liber, nō septem, aut  
nouem lunæ cursibus, sed modicis maturatus ho-  
ris, ex eo semine conceptus, in cuius mentionem  
per sæpe incidimus, quem tibi dono, atq; conse-  
cro, de quo tamen scio multos multa dicturos,  
quod in messem uoluerim alienam, in messem dis-  
similem ualde ab eo quod profiteri profiteor pone-  
re falcē, multos hunc (ut ita dicam) mulæ partum  
irrisuros. Sed lubens uolensq; omnia audiam, quæ  
nec tantillum curaturum polliceor, nam non mea  
in hoc edendo partu mens fuit, talia architectari,  
quæ morsus euaderent Aristarchorum, sed ut te  
quanti facerem docerent, tibiq; placerent, cui scio,  
qualia cumq; sint, cum mea sint, iucunda fore.  
Vale, meq;, ut soles, ama.

DE VERTIGINE,  
ET SCOTOMIA.



VERTIGINIS, Scotomiæq; materiam ratione, & uia scripturi, à nomine, req; ipsa, ex præscripto philosophorum, tractationem exordiri compellimur. Vertiginem ergo à uerto dictam reperimus, quia uertigines patienti, uidentur res uerti, siue cerebrum corpusq; , suum conuoluis; ab aquarum tamen uorticibus, uel quia uerticis passio sit, sic denominatam existimant alij, quod nobis tamen non multum arridet, à Græcis ilingos, dinos, & scotome dicitur, quamuis nostri, scotomen diuersum esse affectum à uertigine arbitrentur, quem Græci scotodinos Latini uerò fortem, uel tenebricosam uertiginem nuncupant, appellaturq; etiam turbo, sidre, & populariter scotomia, quasi, inquiunt, qui ridicula, & frigida plerunq; afferre solent, scopomia, à scopos, quod uidere est, uel intendere, & mias, quod muscam notat, uel scopos uisio, & mucos muscam, uidens quodammodo muscas. Item & à scuta, quod est rotunda formæ, dictam protelarij tradunt; ueràm qui magis ueritati consentanea perhibent, id à uerbo scothomæ, quod est uertiginor, uel scothizo, id est, obscuro, factum arbitrantur, quamuis nec ideo reicimus, quin à scothos dici potuerit, non quod sit obtenebro, ut cum prisca ætate tenuere ex recentioribus multi, unum nanq; nomen est, aliud uerò uerbum quibus tamen, ut Græcas non callentibus literas, uenia danda est, sed quia tenebras notat, & tenebræ huic laboranti morbo. siue obscuritas semper in conspectu est, à quo accidenti nomen illi tributum esse uidetur; Arabes hanc corruptam actionem sidren, Alganaran, & Andain à Symptomate uocitant.

Huius uocis uertiginis uaria uis est, nam uertigo dicitur quelibet hominis circumactio, illa præsertim, quam faciebant, qui libertatem nanciscebantur; ut ostenderetur fortasse, licere etiam ipsis pro suo arbitrio, quorsum uellent, moueri, de qua per sius satyra. V.

quibus una quirit em

Vertigo facit, hic Dama est, non tressis agaso?  
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax,  
Verterit hunc dominus, momento temporis exit,  
Marcus Dama.

Hac tamen in re deceptus fuit Hotomanus Iurisconsultus cum censuerit mandatumissos solere, imposta eius capiti manu à domino circumagi, nam dominus

4  
tantum seruum liberaturus, eum ad prætorem ducens, dextera apprehendebat,  
atq; ad se conuertebat, sicq; libertatem donare illi dicebatur.

Vertigo quoque est quoties uentus consurgit, & terram in circuitum mittit.  
Vna etiam partium illorum motuum, qui sunt ab altero, uertigo nuncupatur, Si-  
cut etiam illius motionis comprehensio, uel naturalis sit, uel præter naturalis.  
Sed hæc diuersa sunt à materia præsentis nostræ disputationis. Designat tamen  
& quandoq; uertigo, conuolutionem præter naturam, aut alterum motum mala  
cum dispositione, uel & præter dispositionem cum uisionis caligine, & facilita-  
te ad casum; & hæc scotomia, illa uertigo est. Horum affectuum essentiam Ga-  
lenum non circumscriptè explicasse nobis uisum est, licet omnes ferè perperam  
tenuerint hæc definiisse in tractatu uictus in morbis acutis, cum docet, dinon esse  
cum caput circumferri uidetur, Scoto: dinon cum simul cum hoc tenebrica appa-  
ret uisio, nam id tunc tantum ab eo fit, ut uel unam differentie rationem indica-  
ret, et cum & alie reperiantur, et alia etiam essentie scotomiae congruant, quæ  
silentio prætereunda non essent. Alibi tamen idem Galenus sub scotomatico af-  
fectu hanc & alteram comprehendit, & scotomiae passiones ilingis tribuit. Nos  
ergo eum propriè uertigine laborare iudicamus, cui, quæ præ se fert omnia, cor-  
pusq; suum reuolui uidetur. Scotomatico autem grauari affectu censemus, quan-  
do simul uidentur circumuolui, hoc est, circumstantia moueri, quæcumq; conspi-  
ciuntur, & uisionis sensus repente destruitur, cum uideantur tenebræ circumfu-  
se, & ad casum paratus sit qui patitur. Hæc tamen circularis motio, quæ in uno  
alteroq; horum morborum consideratur, non omninò semper necessaria est, nam  
quocumque modo cogitatus pulsus, uertigo dicitur, ueluti si cui appareat, quod  
delabatur, dummodo sit à causa uel extrinseca, uel intrinseca. Hoc affectus mor-  
bo dicitur qui, uel concidit, uel in periculo cadendi est, si res quæ moueri uiden-  
tur, moueantur etiam. Paratum diximus in scotomatica dispositione ad casum,  
quia non semper ægrotantes corruunt, ideo cum Rasis docet propriam esse sco-  
tomiam quando patiens decidit, uertiginem uerò cum non cadit, intelligendum id  
est, cum ad cadendum præstò est, uel non. Casus autem potissima, & precipua  
causa est ἀπὸ τῆς αὐτοῦ sui ipsius, sibi autem ipsi occurrere ille dicitur, qui con-  
uoluit se, & talis motus si à patiente fiat, in actu accessionis, seu (ut dicunt) pa-  
roxismi, non figitur ægrotus ille, uel se deat, uel stet, uel oculos aperiat, immò ca-  
dit, etiam propter unicam conuersionem, quemadmodum sanus ob multas celeres  
reuolutiones; si fiat etiam sine accessione, uel ante, uel post, hæc ei facile euenire  
possunt, dummodo dispositus ipse sit ad uertiginem, quam uis actu non habeat. Et  
agitatio hæc quæ fit à patiente in ipso occursum actu, non semper eadem est, nam  
quandoque cietur quis secundum motum illarum rerum, quæ uidentur moueri,  
cum assequatur cum imaginatiua, & motu impulsu illum, quem ante oculos ha-

Bet, aliquando conatur in contrarium pelli, & impellitur. Et lapsus duplex causa est, uel quia spiritus cerebri insolenter mouentur ad sua organa, & ideo nervi corporis existentes debiles non possunt corpus sustentare; uel quia homo, quasi cum corpore, consequitur motionem illam, & timet, & ideo cadit. Hanc scotomiam uarie distingui animaduertimus, nam reuolutionis uertiginem tunc esse dicunt, quando maiores sunt tenebrae, quam uertigo, quando uero maior reperitur lesio in imaginatiua, ita ut obiecta uideantur conuolui multum, & modica obscuritas dispositionem sequatur, uocatur uertigo scotomialis, si autem sit maior lesio in caligine, dicitur scotomia uertiginosa, sed nos haec ut nullius utilitatis, nulliusque fructus, omittere decreuimus, eademque ratione etiam aliam non approbamus diuisionem, quod quaedam scotomia consequatur ad uertiginem tanquam eius accidens concomitans propter causam forte in prora (ut dicunt) capitis, quaedam quae non consequatur ad uertiginem quia non sit causa idonea in prora capitis ad uertiginem firmam, & permanentem, immo uertigo incipiens firmari consequatur ad tales scotomias. Fuere qui dixerunt uertiginem a scotome non differre, uerum hos decipi nomen & ipsarum essentia iudicare uidentur. Non quidem sunt haec dispositiones dissimiles quo ad corruptam actionem sensus communis, nam cum uideatur tum in uertigine, cum in scotome caput obuolui, et exteriora illa quae quiescunt moueri, sensus adest lesio, cum sentiantur, quae sentiri non deberentur. Nec uariae sunt quoad errorem uisionis, nam praeter ea quae in definitione dicta reperiuntur, nos integri testes sumus, quod in uertigine una cum rerum conuolutione uidentur a patientibus inuolucra, et quasi uela quaedam coloris, a quo proficiscuntur humoris naturam indicantis, unde ex his dignoscitur quantum de uia decesserit Gerardus de Solo, qui uertiginem non sequi, nisi post impedimentum uirtutis uisuae, sicque praecedente scotomia asseruit, innuens scotomiam esse uisionis corruptionem, uertiginem uero imaginatiuae; nam licet uertigo sit passio principaliter substantiae prorae cerebri, uentriculorum eius, & partium circumstantium, & scotomia sit passio uiarum spiritus uisionis, non cerebri, ut male Matthaeus Gradensis opinatus est tamen non liberatur uertigo a diminutione uisus, interdumque etiam deprauatione. Sed nec esset uertigo (si scotoma est cum tenebris uertigo) sine obscuratione, quae, ex sententia Coelij Aureliani, separari ab ipsa scotomatica passione non potest, & tamen contrarium in dies, & semper uidemus. In eandemque fere foueam cecidit Herculanius, uir alioqui doctissimus; hic enim negauit scotoma principium esse ad uertiginem, recte quidem, sed labili, & non uero argumento, ex quo peruersa nascitur propositio; Rei ergo ipsius nota talis erat, carentes uisu, non uidentes, qui clausos habent oculos, et qui in obscuris reperiuntur locis, uertiginoso afficti morbo possunt, quia imaginari queunt rem contorqueri, Scotomatico tamen

hi non subiacent affectu, quia illorum oculi obscura caligine non teguntur. Sed  
 cum in uertiginoso sit habitus ad tenebras, quandoeunq; fiet uertigo actualis,  
 poterit fieri illa obscuritas non apparens propter impedimentum, quod simile  
 de lippiria febre dicitur, uerum experientia dissoluit etiam huius controuersie  
 nodum, nam singulis diebus uidemus conuoluentes se oculis clausis post rotun-  
 dum ambitum cadere, sed demus uertiginosum, qui post accessionem contorque-  
 at se oculis semper clausis, hic decidet, & magisquam alij cadant; Ex his Auicen-  
 na dictum, non haecenus fortasse, explicatum, interpretamur, quod erat huiusce  
 modi. Et accidit ei (estq; illi sermo de scotomia) ex obuiatione sui ipsius, sicut  
 illud quod accidit ei, qui reuoluitur super se ipsum multoties cum uelocitate; non  
 enim figitur sedens, aut stans, aut aperiat oculos, non firmatur ergo iste, inquit  
 Auicenna, licet sedeat, quin cadat, & tamen assidere multum potest contra cas-  
 sum, aperit oculos ne labatur, & illi tamen hoc non auxiliatur, quia iam uisus ob-  
 scuratus est, facilius ergo cadere quis potest clausis, quam patentibus oculis. Si  
 silentio praeteriremus, quae nobis euenere, medicorum adumbratae sententiae in  
 posterum, ut uerae, reciperentur, quemadmodum haecenus factum animaduerti-  
 mus, & scitu digna quaedam ignota essent. Sed si quae docent, in se ipsis experi-  
 rentur, commodius rerum potestatem ac uim exprimerent, atq; indicarent. Nos  
 ergo dum in latumijis detineremur, uel fuerit illa fatalis uis, uel aduersa fortuna  
 nostra, non die, licet loca essent tenebris inculta, sed noctu, quando, ut grauior  
 poena esset, deficiebant lumina, et scotomiae et uertiginis morbo urgebamur, nec  
 uel in hoc, uel in illo incolumis erat uisionis uirtus, nam et ante casum, et in ipsa,  
 ut ita dicam, conuolutione, quaedam uelut lumina uidebantur ante oculos in gyris  
 subito uolitare, & quandoq; a dextera ad laeuam celeriter transire. Non uarian-  
 tur scotomia & uertigo, ut ad rem ipsam etiam redeamus, in deprauata imagina-  
 tione, quamuis non defuerint, qui nostram hanc sententiam pro uiribus euertere  
 conati sint, quod uidelicet his in dispositionibus imaginatio laedi non possit, nam  
 si uiolata esset, aiunt, non se laesos aegroti arbitrarentur, et tamen quieto affectu,  
 sedata turbulenta illa affectione, falsam uisionem fuisse, ac imaginationem digno-  
 scunt, sed satis dicitur offendi, ex quo in ipso male dispositionis actu aberrat, nam  
 non cognoscit tunc homo, quod caput suum, & exteriora, quae moueri uidentur,  
 non moueantur. Vel cum cognitio sit post agitationem illam, imaginatiuae mu-  
 nus non est hoc, sed cogitatiuae. Si etiam ad cerebrum tales attinent affectiones,  
 qui fieri poterit, ut uisibilis tantum dicatur laesa facultas. Non differunt scotomia  
 & uertigo in causa materiali, quae in radice est eadem, dixere aliqui et in uno lo-  
 co, id est, in prora, quod non probamus nos, quia in medio uentre, uel postremo est  
 uis principalis animae. Et his forte fortuna permotis rationibus medicae artis  
 auctores, uno, eodemq; in loco scotomiae & uertiginis materiam pertractarunt.



Distant tamen hæc duo, dicunt aliqui, quia scotomia sequitur tanquam accidens  
 concomitans ad uertiginem, quàm uis dici possit, scotomiam, uertiginemq; ean-  
 dem sequi dispositionem. Abhorret, & quidem crebro, scotomaticus uoces, quod  
 ob cerebri debilitatem euenire credendum est idq; tamen uertiginoso non con-  
 tingit. Necessariòq; ad perseuerantem uertiginem scotomiam sequi tenuit Tor-  
 namirius, sed falsò quidem, nam contrarium experientia ostendit. Nos cùm diu  
 leuis uertiginis morbo laboraremus, aliquando tamen, & tenebricosæ, inter has  
 actiones inuenimus alia extare discrimina, quod uidelicet uertigo repentinum  
 habet initium, scotomia autem paulatim inuadit, si quidem ante tenebras, reuolu-  
 tionemq; debilis patiens fit, ut sustinere se haud queat, quæratq; ideo ad quàm ad-  
 hærescat rem, posse tamen, & quandoq; in hac uertiginis specie, si fortis sit, su-  
 bitum fieri insultum, ex medicis censuere aliqui, sed nos qui tam grauitè, tamq;  
 uehementer tali afficiebamur morbo, ut hominem, dum conabamur non delabi,  
 sternebamus humi, futuram semper præsentiebamus perniciem. Itè q; magis quàm  
 uertigo durat scotomia. Et tandè scotomia omnis uertigo est, uertigo autem non  
 scotomia. Sed et in uertigine etiam, quæ leuis est, gradum reperimus, nam post  
 illam, qua omnia in gyrum uerti uidentur, non forte medicis notam, probauimus  
 alteram, & hæc erat quidam timor ne in itinere concideremus, licet nec cadere,  
 nec moueri aliqua uiderentur, quam sola à summo ad imum perfrictione curauim-  
 us. Diciq; uertiginis dispositio morbus potest, cùm proximè, & per se lædat  
 operationes sensibiliter, & potestatis motiue operationes, quæ motu tonotico uo-  
 cato, corpus tenere rectè solet, mediadè. Sed insurgit dubium ex his duabus dispo-  
 sitionibus, cùm sensus cois erret, et in uertigine, et in scotomia, cur magis corrup-  
 pitur uisus, quàm auditus, odoratus, et alij sēsus, et hoc id ea de causa fit, quia cùm  
 uersentur uertigines circa motionem, alio non uidentur magis posse apprehendi  
 sensu quàm uisus. Suntq; duo hæc nocumentum regitiuæ naturalis, ut digestiuæ,  
 & expulsiuæ, Et uitalis expellentis per constrictionem, & dilationem arteria-  
 rum in partibus mandantibus, & læsis, nam si digestiua digereret digerenda, ut  
 deberet, & expulsiua naturalis, et uitalis expellerent expellenda non inciderent  
 in has corpora passiones. A<sup>o</sup> capitis autem passione, quam cephalæam uocant, in  
 qua egrotantes, maximè cùm sedere uolunt, uertigine adficiuntur discernitur sco-  
 tomia, quod dolorem non faciat; Cum oculorum tamen suffusionibus scotomia ali-  
 quid cōmune habere uidetur, nam in una quaq; istarum actionum quedam uolare  
 quodammodò uidentur, in utroq; est morbus officialis in uia ultra debitum reple-  
 tus à re non naturali, sicq; conueniunt in particula patiente, et passione, ideo di-  
 xit Galenus, oculorum imagines, & uertigines cognata esse uitia morbo caduco.  
 Differunt tamen in materiali ac efficienti causa, nam in scotomia uapor ille est  
 uentosus, & magis aridus, & mobilis, in suffusionibus magis humidus, & quies-

unde hic coagulatur, ille non. Item scotomaticis proxa capitis magis calida  
 est, caligines oculis offusas habentibus magis frigida, & hac in re ut plurimum  
 decipiuntur medici arbitrantes scotomiam oculorum suffusiones esse. uariant  
 etiam fortis hæc uertigo & epilepsca, licet prima (ut aiunt) fronte idem uidean-  
 tur, nam uertiginosus anteq̃ incidat in notabile nocumentum sentit minutatim  
 uenturam aduersitatem, idq̃; regulare est, epilepticus autem non, euenire tamen  
 quandoq̃; posset, ut uertigo adeo potens esset, epilepsiaq̃; ita debilis, ut hæc, futu-  
 ra aliqua præ nitteret signa ægritudinis, illa uero non, Item uertiginosus ante-  
 quam cadat, fit debilis, uelut ex morbo resurgens, toto uacillat corpore, manibus  
 carptim incidit, ut auxilietur ne cedat, epilepticus autem subito cadit, si tamen  
 fortis sit epilepsia. Non sensibus priuatur ægrotus in scotomatica passione, neq̃;  
 spasmò afficitur, idest, diuerso raptu, nec spumam in ore agit, uelut epileptico cõ-  
 tingit, immò & cadens uertiginosus etiam loquitur, quia non est tantum impedi-  
 mentum in motu linguæ, ut in epileptico ueteres tamen his ducti rationibus sco-  
 tomiam paruam epilepsiam uocauerunt. Appropinquatur hæc affectio epilep-  
 sia & apoplexia potius in hoc, quod caput circumferri uideatur, quàm quod ea  
 quæ extrinsecus sunt. Fiunt hi uertiginosi graciles ferme in totum et pigri ad om-  
 nem aggressionem.

#### DE CAUSIS.



**D** R A E M I S S I S his, quæ necessaria nobis uidebantur ad no-  
 minis. & rei notionem, causas nunc uertiginum recensere, no-  
 stri est pensi. Horum ergo affectuum causa coniuncta, magisq̃;  
 proxima, seu (ut dicunt) immediata sunt uaporosi spiritus, inor-  
 dinato motu exagitati, qui si uisuales neruos, uel crystallo simi-  
 le, humorẽ uel alios ad uisũ pertinẽtes meatus obstruãt uisum  
 obtenebrant, si autem penitus non intercludantur uerũ in ipsa motione repre-  
 sentent sensui communi species motus quæ non sint, faciunt sensum ( ut iam di-  
 ximus,) communem errare, item & uirtutem uisiuam propter motum inordina-  
 tum spirituum uisibilium referentium figuram obiectorum exteriorum quiescen-  
 tium, ac si mouerentur, unde uisui apparent res extrinsecus moueri & similiter  
 caput & corpus ipsius patientis reuolui. Verum circa hoc instabat Herculanus  
 sic. uirtiginosus non errat circa aliquod obiectum, nisi illius species, ad sensum  
 communem per oculum afferantur, aut relatæ sint, sed cum nemo possit caput  
 suum uidere, illius figura non deferetur per uisum ad sensum communem, non er-  
 rabit ergo circa caput suum, deprehendendo ipsum moueri, quando quiescit. Ad  
 hoc dicebat ipse non percipiet caput suum solam moueri, sed quia comprehen-  
 dit partes corporis sui ab ipso uisibiles moueri, de capite deinceps idem iudiciũ  
 faciet, sed aberrat hic uir ab eo quod fere notum omnibus est, nam liquet quod  
 oculis

9  
oculis etiam clausis uertiginoso uidetur corpus moueri & in tenebris, & quod aliquando solum caput circumferri uidetur, & non alia corporis membra, ideo dici fortassis potest quod ex motione spirituum, & humorum in capite circulatorum caput moueri uideatur, quia eadem agitatio in eis fit, ac si caput moueretur præterea sicut oculis clausis cognoscimus caput moueri quando mouetur, ita errore phantasia potest iudicari moueri, quando non mouetur.

1 Vertiginum autem causa remotior, uel est primaria, hoc est, extrinseca, uel corporalis, hoc est intrinseca, extrinseca uerò alia omnino ab extra, alia corporalis est, uerum extrinsecarum propriè expedienda in primis est tractatio, occupante igitur frigido glutinosoq; humore cerebrum, extrinsecè, fit uertigo ob reuolutionem sui ipsius, nam unà secum uoluuntur spiritus, qui sunt in uentriculis, & alijs cerebri partibus, qui spirituum rotundi ambitus ipsam cōuersionem producant. huic morbo dat causam contemplatio rerum circulariter motarum, uel cum uelocitate licet non rotundarum, ut equi sunt currentes, nubes cœli, & alia huiuscemodi, sed & si uideat quis alium & circumuertentem, Nam formæ rerum uisibilium sic motarum, in spiritibus impressæ, similem motionem generant in ipsis spiritibus. æque idem fit dicebat Azaruius, si ex alto loco intueatur quis, uel si profunditates fouearum, uertices collium, & supremas superficies aspiciat, luminosas res cernere, ut Solem, lucernas, & similia est huic affectui nutrimentum præbere, nam propter eorum excellentiam segregantur spiritus, & mali contingunt motus. Clamores, soni excedentes, tonitrua, huic aduersi tati fauent, conquassant enim corpus, & spiritus extra ordinem mouent. Vehemens etiam consideratio ad res in gyrum agitatae nocet, nam forma illa sensata infigitur in anima, cui obediunt spiritus motiui, nam corpus animæ paret, sed & imaginationem ad uertigines probauimus nos operari casum. Dum etiam paruam per fenestram amplum intueremur locum, qui hinc et hinc uel sedes habebat, ut monachorum chori sunt, uel columnas, ut religiosorum reperiuntur claustra, nos inquietauere uertigines. Verum hæc omnia, præter reuolutionem tamen, leuem magis excitant uertiginem, quàm scotomiam.

2 Extrinsecæ corporales causæ sunt, capitis percussio, & cranei fractio, nam cum fit compressio cerebri, tunc exagitantur spiritus, siue undoso (ut ferunt) siue tremulo motu, & fit uertigo, item maxima percussio supra dorsum, quia tunc mouentur, uene chilis & adorti, & mouentur spiritus ad caput undoso motu, & oritur uertigo, uel id accidit propter compassionem cerebri ad ipsam nucham. si sub sole etiam æstuauerit quis, uel calido uaporosoq; spiritu caput impletum fuerit alia uia, uel si consuetæ excretiones oppressæ fuerint, uel solita emmoroidarum purgatio cessauerit, uel in sanguineis Flobotomia, & coitus, quia materia ad caput accurrit, uertigines fiunt. Huius morbi etiam primitiue causæ sunt Cra

pula, Ebrietas, somnus multus. & proprie super repletionem, longa uigilia, coitus magnus, furor, timor & huiusmodi accidentia, spiritus præter ordinem turbantia, sed & omnia denique non naturalia, et humores crassos in cerebro generantia.

3 Corporales uerò huius morbi cause, quæ intrinsecus nascuntur & fiunt, uel per essentiam dicuntur operari, uel per communicationem, communitatem, aut consensum. per essentiam fiunt ex uaporibus contentis in uacuitatibus cerebri, aut in ueruis, uel uenis ipsius, aut ex humoribus uel calidis uel frigidis, qui commouentur aut euaporantur paruo cum motu, aut caliditate, nam facta exagitatione in dictis uaporibus, mouentur suo motu spiritus, qui non digeruntur, & rectificantur nisi in uenis illis qui si in gyrum mouentur, fit uertigo, si autem lateraliter, dicebat Philonius, uel alio modo, fit scotomia, quod tamen non probamus, quia & in scotomia ante obnubilationem res uerti uidentur, & uertigo una est partium scotomiae. raròq; etiam fit motio, quocunq; modo fiat, quin appareat circumuolutio.

4 Per essentiam etiam constantur ex post, licet ab initio uideantur per communicationem si uaporum multitudo cerebrum occupauerit, diuq; in ipso sedem habuerit quæ ex alijs ascendat partibus, surgatq; de humoribus corruptis in ægitudine uel frigida uel acuta, motis uel à digestiua, uel à resolutiua uirtute.

5 Fiunt, & quandoque non per motum uaporum, aut humorum sed ob diuersam malam complexionem factam in ipso capite, nam complexio naturalis conseruat spiritus in quiete, qui excitantur ab ipsa mala complexione, nullo motore particulari corporeo commouente, simile fieri uidemus ex applicatione ignis ad aquam, nam non concurrente mouente extrinseco mouetur aqua.

6 Vertigines autem quæ per communicationem generantur, uel gignuntur à toto, ut in crisi, uel à membro determinato, idq; fit uel ex uaporibus non generatis in cerebri substantia, neque diu in ipso cerebro retentis, sed ascendentibus ab alijs membris ad ipsum in ipso ascensuum gradu, nam, cum perueniunt ad uentriculos cerebri, non possunt cum illis in uentriculis comprehensi sint, extra moueri, tamen comprimuntur ab alio succedente, & sic fit uertigo, & hoc quia cum directe non possint intra cerebrum incidere reflectuntur ad centrum.

7 Membra autem ex quibus hæc habentur sunt uentriculus, fel, seu chistifellus, matrix, uescica, omentum siue uelamen, splen, ypocundria, iecur, cor & alia huiusmodi; uel enim mouentur humores qui in his sunt, uel proueniunt ab illis partibus ad stomachum, deinde ascendunt ad cerebrum. Ut plurimum autem fit uaporum hic ascensus, & humorum motio ex stomacho, & ex matrice, nam uitiosis ibi superfluitatibus acceruat, ad cerebrum fertur exhalatio uaporosa acris & calida, & uia est rector, ac latior. Ascendant que

14 uapores, & alia uertigines generantia aut per transitus neruorum, aut per  
 15 uenas, & arterias, quæ uel apparent, uel non. Communicanturq; etiam per  
 16 uias amplas meri scilicet, & cānam pulmonis, quam epiglotum dicunt. Hiq;  
 uapores si tenebricosi sunt, & crassi scotomiae causam afferunt, si minus cras  
 17 si et opaci, hoc est, magis subtiles, et unā cum uento inclusi in humido uiscoso,  
 18 uertiginem magisquā Scotomiam produciunt. Horum autem uaporum mate-  
 19 ria uel pituitosa est, uel melancholica, uel sanguinea, uel ex bili constat. pi-  
 20 tuitosa uerò uertigo illa est, quæ similis est epilepsie.

21 Quandoque tamen non humores uaporesue uertiginem mouent, sed fit per  
 solam compassionem, ut quia spiritus mouentur illius partis, quæ compatitur  
 cum ea, quæ læsa est, uelut si doleat stomachus, qui compatitur cum cerebro ex  
 naturali eorum continuitate, nam possunt moueri cerebri spiritus, & fit uertigo.

22 Fieri etiam possunt per solam alterationem, seu inflammationem, multiplicata  
 mala complexione in cerebro, & ab ea motis spiritibus, stomachus enim inflā-  
 matur, & bilis ad stomachum fluit, hocq; usu uenire uacuis, & famem patienti-  
 bus, maxime si famem perferre non possunt, testes sunt medicinae autores. nos  
 cum semel in die cibum capere proposuissemus tam frequenter tali inquietaba-  
 mur morbo, ut à proposito declinare illico coacti fuerimus, his tamen etiam scoto-  
 matica uehementer, ieiuno stomacho, laborauimus passione, in primis dum teter-  
 rimus detineret carcer, quod aquæ frigida potione, curauimus, postea cum li-  
 bertatem pristinam adepti essemus, liberauit Alexander Sighitius bucellis panis  
 infusis in uino, & eo poto, quo totum corpus etiam refectum fuit.

DESIGNIS.



VIA documentis demonstratur, an uertigines sint per essen-  
 tiam, cōmunicationem, uel consensum, quæ absolute ex ægro-  
 tis haberi non possunt, licet à uertigine scotomiam discerne-  
 re ipsi patientes ualeant, ideo signorum tractatum præmitte-  
 re, utile esse censuimus.

1 Si uertiginum origo sint causæ extrinsecæ, uel corpora  
 2 les sint illæ, uel non, signa aperta sunt; has enim causas uertiginosi cogno-  
 scunt omnes, ideo medicis eas scire leue est, dum tamen ægotantes de præteritis  
 percuntentur, sed & præter hæc, sentiunt dolorem, & grauitatem in anterio-  
 ri capitis parte.

3 Si per essentiam fiunt uertigines, uel à materia generata in cerebro, uel in  
 4 eo existente per antiquam retentionem, tunc assidua, seu continua est ad-  
 uersa illa ualetudo, hoc est, procliuis ut continuetur, sicq; Serapionis interpre-

178  
[1  
17  
15  
157  
163  
157  
54  
15  
158  
15  
15  
16  
atur dictum, cum ait, si uertigo est per essentiam, stat illa tenebrositas oculorum sempiterna, id est, non continua, ut semper sit, quia saepe quiescit, sed continua, quia parata est ad continuationem, & facilis est ad casum. Non sequitur in hac morbi specie, uel non praecedat aliquo in membro aegritudo, nec alicuius membri euacuatione, uel repletionem sedatur, uel excitatur. Quandoque tamen antecedunt uertiginem dolores capitis, & uehementes, futurarum pulsus, aurium sonitus, et tinnitus assidui, & auditus grauitates, atque haec maxime contingunt circa ciborum concoctionem, quia materiae illae mouentur, & producant haec accidentia, grauitas est in capite, maxime in fronte, propter materiam humoralem in capite existentem, a qua surgit uentositatis. imbecilles sunt ipsius oculi, quia densa est materia, quae oculis communicatur, uel quae spiritum cerebri turbidum reddit. laesus est olfactus, gustus, omnesque fere sensuum actiones, quae a capite initium sumunt, quia cerebro patiente, & spiritu, qui in eo est, omnes patientur sensus.

5. Malam uero complexionem sine materia in cerebro, capitis, uel cerebri leuitas indicabit, item & subitus euentus illius complexionis insigniter intense, ut plurimum ab aliqua causa primitiua; sed statim sequetur, etiam post receptos infrigidantes, uel calefacientes, uel ore, uel potu, uertigo.

6. Si per communitatem morbus contingit, & a toto, sentitur laesio in toto, & crescit, & decrescit cum cremento, & decremento totius, & tunc praecessit uel febris, uel crisis, uel aliquid huiusmodi; Critica alia signa autores tradunt, quae hic recensere non curauimus, cum leui uia possit medicus percipere, quando a toto aegritudo sit.

Si eius causa fuerit ab aliquo membro particulari, non erit morbus ille continuus, & ita frequens, sentiet laesionem in illo membro, uelut quaedam formidatio, quo curato, tota illa passio remouebitur, habent tamen quae libet membra signa sua praecipua.

7. Nam si a stomacho procedent haec, erit appetitus priuatio, quia materia in stomacho destruit, & appetitui nocet, praua concoctio, cordis tremor, spiritus lassitudo propter communitatem uentriculi ad diafragma, anstetia, seu subuersio quaedam in stomacho, quia ita subuertitur uelut capitis dispositio, uomitus, stomachi grauitas, dolor aliquis in anteriori parte cerebri, quia uapores a stomacho ascendentes petunt secundum rectitudinem anteriorem partem cerebri, & tendunt dolores usque ad medium propter communitatem neruorum reuersiuorum, et non elongantur quin perueniant ad ipsius posteriorem, reperitur diuersitas dispositionis in qua patiens non quiescit; quaeque non sedatur, et quandoque augetur secundum ieiunium, & repletionem, sit nausea, dolor in stomacho, in flatu in quibusdam horis, in neruis praesertim, quibus stomachus communicatur cerebro, & ante & post uertigines sentitur dolor post anteriorem partem capitis in partibus colli;

apud origines neruorum sexti paris, item & per communitatem meri. Ex eodem loco etiam prouenire dicentur, si confestim, ubi quis e sella surgat, cruditate quadam prægressa hæc patiatur.

8 Si ex chistifelle procedunt, antegredientur indispositiones ipsius.

9 Si à matrice proueniunt, uel antecessit, uel præsens, est ipsius ægritudo, ut matricis perfocatio, sequuntur uentris dolores, uel antecedunt circa matricis regionem. Verum in matrice etiam nocent retentio spermatis, impedita menstrua, & apostemata in ipsa.

10 Vesica si huic morbo causam præbet, uesicæ passiones sentiuntur, tumor collectio, ulcus, duricies, phthiriasis, psoriasis, capillatio, debilitas, paralysis, calculatio, sanguinis fluor, mictus tarditas, aut difficultas, aut in toto guttæ aquatiles.

11 Si ab alijs postea fluxerint uertigines membris partibusq; ut à uelamine

12 splene, seu liene, ypodundrijs et similibus, indicium facient illarum partium

13 lesiones, quæ à medicis cum signis, suis pertractantur in locis.

14 Si ab epate oritur, quod nutrimenti origo est, & præcedunt epatis in-

15 firmitates. Si à corde, quod est origo spiritus, antegrediuntur cordis pas-

siones, & præter hæc, cum hi uapores transeant per uenas, & arterias, quæ ex-

16 his, nempe epate & corde nascuntur, uel per illas, quæ sunt, post aurem, uel

quæ sunt in collo, hæc uehementer pulsabunt: eruntq; intentæ, ut chordæ, illæ quæ

in collo sunt, in eoq; non inuenietur dolor de quo sit curandum, neq; in membris

17 eius, neq; in reliquis neruis, nisi per neruos transeant, quia tunc adest in col-

18 la dolor notabilis magis intra, & aliud signum non apparet. Si arteriæ

extrinsecæ extensæ, erunt apud collum, & alleuiatur, cum manuq; prohibetur

pulsus, aut ligamentis institum, aut plumbo, aut linimento stipticorum, horum cur-

sus est in eis. Et si facta æquæ aliarum extrinsecarum uenarum, uel arteriarum,

experientia, non inueniatur quidpiam tale, tunc est in uenis, uel arterijs intrinse-

cis, uel profundis, & in illis sentitur extensio quedam, & pulsatio maior solito,

& tunc approximatio stipticorum, & compressio super uenis exterioribus uer-

tiginem non confert. Verum nec his in casibus reperitur dolor, de quo curandum

fit.

19 Si uapor qui est in cerebro, aut in alijs membris, cietur à pituita, reperietur

grauitas uel in capite, uel in membro ubi erit flegma, frigus cum in uentriculo

tum in capitis suturis, erit tumor, qui fit propter frigiditatem facientem spiri-

tum equaliter siluestrem, tumorq;, qui nascetur ex uaporibus illis, cum perue-

niunt ad loca faciei apparebunt, eritq; multitudo somni, cum multitudine sputi,

& superfluitatis narium, totum pigrescet corpus, & imaginationes.

20 Si melancholia erit in causa, sentiet patiens grauitates cum quantitate, &

erunt uigiliae, imaginationes lamearum, & capilli nigri, cogitatio corrupta, & somnia timorosa.

21 Si fuerit sanguis, & materia in cerebro existat, erunt uenae, quae sunt in fronte, & in temporibus, & post aures pingues, & plenae; facies, caput, & oculi rubri, & erunt grauitates capitis, & somnus longus non profundus, lassitudo, pulsatio, tensio, tactus calidus, pulsus magnus, urina rubea & densa. Si apparitiones in uertigine tendant ad ruborem, uel si oculis clausis conuoluatur duabus uicibus, aut tribus, & patentibus oculis haec uideantur, pendent à materia sanguinea, quia hoc casu fumi agitati in prora cerebri subintrantes uias uisibiles, similem offerunt speciem in cristallina, & in crucis signatione, & tunc sensus com-

22 munis sic super illis iudicat. Si autem per colligantiam uenarum cordis, epatis, splenis, renum, uel matricis eueniant haec facies rubea erit, & uenae non apparebunt crassae, nec signa, iam dicta, demonstrabuntur, sed tantum membri particularia. Si etiam in toto corpore, praeterquam in capite, abundet sanguis, indicia haec demonstrabunt, sanguinem somnari, ideo Philonius testatur, cum hac grauaretur aduersa ualitudine in somnis copia e naribus suis effusi sanguinis uidisse. faciemque in illo uolutari suam & eam ab eodem deturpatam esse, urinam rubra, & magnus erit pulsus, est tamen caeteris, sanguinea uertigo, periculosior.

24 Si uapor fuerit à colera, erunt uigiliae, inflammatio, sine multitudine grauitatis reperietur patiens, calorem in futuris habebit caluae, erit nausea & imaginabitur ipse res citrinas aureas somniabitur uolare, & leuiter moueri; raro tamen fit à bili uertigo, quia cum ignea ipsa sit, resoluitur antequam uertiginem faciat; occurrunt tamen saepius sanguinea, flegmatica, & stomatica.

25 Si per compassionem, ieiuno stomacho fit, lassitudo itemque sitis, sentitur, & apparet sudor abundans.

## DE PROGNOSTICIS.



DESCRIPTIS huius passionis signis, uertiginum prognostica placet perstrictè ordinare, ea uerò uel ad bonum sunt, uel ad malum, ad bonum, si succedat soda, quia quandoque liberat à uertigine, & hoc quoniam propter dolorem calefit cerebrum, nam dolor attrahit sanguinem, & spiritum, unde calefacto cerebro, resoluitur uapor, qui uertiginem faciebat.

Vel uapor ille clauditur intra uentriculos cerebri existente uertigine, succedente igitur dolore, diuertitur materia uentosa, uel uapor, qui uertiginem ciebat, ad membra neruosa, & declinat ad alias uias, & sic remouetur uertigo.



Ad malum, nam uertigo frequens, cum accidit decrepitis apoplexiam prædicat, quia in senibus non multiplicatur sanguis & colera, sed pituita abundat. Vapores ergo, qui miscentur cum spiritibus cerebri, erunt pituitosi, qui propter frequentiam, tantam flegmaticam aggregabunt materiam, quod apoplexiam constituent, non enim senes, uel hæc expellunt, uel diminuunt, propter defectum uirtutum expulsiuarum.

Epilepsie etiam signa uera sunt uertigo, & scotomia, nam pronus, seu decliui, aut uenturo in ipsam passionem, ante omnia fit capitis uertigo, uisus obtusio, & quedam præ oculis quasi propendentia.

Verum et uertigo succedens stupori membrorum nunciat apoplexiam, et epilepsiam, nam stuporis causa oppilatio est, pendens ex materia flegmatica, cui si succedat uertigo, demonstratur materiam oppilantem iam multiplicatam esse, spiritibusque cerebri communicatam, quæ, secundum quantitatem materie pituitosæ, potest uel epilepsiam, uel apoplexiam producere.

Si unà cum uertigine, aut scotomia ebriosus quis fuerit, maleque se regat, citò in epilepsiam, lytargiam, uel apoplexiam cadet.

Si ea, quæ ante oculos obuersantur, sanguinolentiora ægrotis uidebuntur, ad insaniam ipsi habiles sunt, & de facili insanire possunt.

Qui purpurea aspectu sentiunt, comitiales timeant morbos, in eos namque leniter incidere possunt.

## QVAE IN VERTIGINIBVS CURANDIS

ANIMADVERTENDA SUNT.



VERTIGNIS curam, & medicinalia, quæ hoc loco pertractare, ex more, deberemus, consultò præterimus, nam fide data, polliciti sunt nobis Ioannes Baptista Contugbius, & Alexander Sighitius se ea empirice, & certa ratione perscripturos, præfari tamen quædam omnino necessaria nobis uisum est. Vertiginosus ergo quis est, uel secundum actum, uel secundum habilitatem, secundum actum, ut quia stanti, recto, & moto uidentur res conuolui, & licet in lecto quiescenti non omnino secundum totum uideantur hæc in gyrum uerti, sed cum caput eleuat, uel sonas fit foris in camera, uel cum multum loquitur, & maxime uoce eleuata, uel uehementer imaginatur, quia tamen si erectus staret, hæc euenirent, actu dicitur uertiginosus. Hic est locus, ut dicamus cuiusmodi fuerit uertigo præter solitum, quæ nos in lecto cubantes turbauerit; uel enim uidebatur cubile nostrum auferri, quemadmodum uinolentis apparere credendum est, quando quiescentes clauitant, subsidia præstate, stratum

extorquent. Vel caligo quaedam, siue fumus ex capite uidebatur exire, circumq;  
 uoluendo se ascendere in altum, unaq; secum cerebrum trahere nostrum, quæ  
 duo, uel capitis elevatione, uel omnium membrorum reuolutione illico quiesce-  
 bant. Habilitate, seu ( ut dicunt ) aptitudine, uertiginosus dicitur, qui tollerat  
 omnes causas communiter occurrentes, absq; tali læsione, sed ex unica reuolutio-  
 ne, uel sui ipsius obuiatione patitur, consideratur et in uertigine, ætas, et perso-  
 na, aut enim iuuenis est, et fortis, aut debilis, idq; uel propter ætatem, ut quia  
 senex, uel propter antecedentes morbos resolutiuos, uel propter alias antegre-  
 dentes causas resoluentes, ut nimia est sollicitudo, coitus superfluus, et alia hu-  
 iuscemodi. parui non est momenti scire an patiens proram habeat capitis cali-  
 dam, et stomachum, cui hæc de facili euenire possunt, et an qui grauatur uerti-  
 ginibus, dormitet, uel non, nam dormientibus magis uidetur, quod res conuoluã-  
 tur, quia uapores illi, minus, oculis clausis exhalantur, item an uertigo uel fre-  
 quens, uel rara, uel modica sit, sed et an uacuus sit homo, uel nõ, afficit enim fre-  
 quenter uacuos homines, hoc est, sine aliquo exercitio uitam ducentes, Inquiret  
 postea medicus de statu ægroti, de tempore morbi, et quibus utebatur tempore  
 sanitatis, et de causis uertiginis, ac secundum uarietatem circumstantiarum, cu-  
 ras uariabit, cui curationi generaliter inutilis differentia uertiginis ac scotomiæ  
 inuenitur, nam unius cura, per alterius curam intelligitur, debiliora tamen re-  
 media applicanda sunt membri leui in uertigine; sed et cura hæc duplex est,  
 una quæ uera ac propria dicitur, et uertiginoso augeſcente affectione, hoc ex  
 paroxismo, debetur, altera est præseruatio quaedam à futuro accidenti, et hæc  
 corpori tribuitur parato cadere in uertiginem, quod dicitur neutrum deciden-  
 tiæ, tempore tamen quietis, sed hæc doctissimorum illorum uirorum, quos mox  
 retulimus, munera sunt.

## DE RATIONE VICTVS



**Q**UIA sustentatur ualetudo obseruatione earum rerum, quæ  
 res aut prodesse solent, aut obesse, et continentia inuictu,  
 ideo de ipsa uerba facere intendimus.

Aer eligendus erit temperatus, purus, et lucidus, fugien-  
 dus est nubilosus, crassus, et nocturnus, à uentis cauendum  
 est, maxime australibus, quia tunc uehementescit illa passio, quemadmodum  
 hyeme, uel uerni temporis initio. Solis et Lunæ radij uitandi sunt, item aspe-  
 ctus rerum cum uelocitate motarum, ut aquæ currentis, rotæ et similium, etq;  
 profundarum rerum, magnos fugiant strepitus et sonos, fumum, imaginatio-  
 nem ad res maxime luminosas, artem scribendi, studium, illico post cibi assump-  
 tionem

tionem saltem, a seensum loci eminentis, subitam reuolutionem de latere ad la-  
tus, inclinationem capitis ad inferiora, animi affectiones, seu perturbationes,  
praesertim iram, timorem, et mœstítiam, æquè clamores, contentiones, cantus, et  
uenerem. exercitio utendum est temperato, in quo, quantum possibile est, caput  
quiescat, i deo equi tortoris equitatio uitanda est, uel multum caput mouentis,  
deambulatio longo debet esse ductu, ne iugi conuersione uertigo sentiatu-  
rim tamen, dum talis curatur morbus, absit infirmus ab igne, scalas raro ascen-  
dat, nec iter faciat propè flumina, ne interdum uertigine oborta precipite-  
tur.

Somnus sit capite bene eleuato, & non statim post cibum, sed per binas sal-  
tem horas post cœnam, non supino corpore, sed superlatus primò dexterum, po-  
sterius sinistrum, & ad usq; horam octauam, uitet somnum diurnum, ac in loco  
ualde calido factum, neq; caput dormitando calidum ualde teneat.

Ventris onus singulo quoque die deponendum est, in quo si auaram habuerit  
naturam balano, uel glandulis, uel clistere utatur.

Friktionibus crebro utendū est, mane praesertim, priusq; surgāt, quæ à super-  
nis partibus, collo uidelicet, cœptæ ad infima desinant, fiant tamen suauiter, quo-  
niam multum laboriose, aliquando adderent ad casum, propter agitationem  
contingentem in humoribus, unde fieret euaporatio multa; capitis friktiones ui-  
rentur, leues tamen pectinationes conueniunt, caput bene à sordibus mundum te-  
neatur, superfluaq; per nares, & os expurgentur, quod si per se non respon-  
deant, masticatione mastiches, et adhibitione in nares unius guttæ radicum betæ  
recrementum prouocetur, uespere cum in lectum collocatur, pedum plantas, do-  
nec somnus occupet, fricari faciat, laudatur multum aquæ calidæ super manus,  
& pedes effusio.

Cibi eligendi sunt boni succi, con coctu faciles, flatus exortes, stomacho ae-  
uentri cōmodi, urinam cientes, sintq; modici, ita ut fames uitetur, panis sit bene  
fermentatus, bene contusus, & bene concoctus, ex farina non in totum à surfu-  
raceis partibus mundata, cui commisceatur aliquid de aniso, & non come-  
datur, nisi bene fumus exeat. Vitentur euaporantia, ut cœpæ, porra, allium &  
huiuscemodi, herbæ crudæ omnes, item lagana, & omnia cibaria ex pasta con-  
fecta.

Vinum erit debile, album, uel cæsolum, & non ualde uetus, ne caput per-  
cutiat.

Fercula conueniunt ex micis panis, milio, panico oriza, farre, ciceribus fra-  
ctis, rixo cocto bonis cum carnibus, à cibarijs liquidis uespere abstineat.

Carnes sint pullorum, gallinarum, caponum, perdicum, phasianorum, hædo-  
rum, castratorum, uitulorum, leporum, columbarum, quæ uolare incipiunt, ture-

surum, non impinguatarum, auium minutarum, præter merulos, & ortigenes.

Condimenta fiant ex acrestis, uino granatorum, succo lemonum, arantiorum uel cituniorum, mirtilorum cum amigdalibus, & si frigida infirmitas sit, non tamen calidis utendum est, ne caput impleant, sed temperata præstanda sunt, uitanda tamen in calidis calida, & in frigidis frigida pro uiribus sunt.

Fructus humidi detestandi sunt, ex siccis etiam castaneæ, et nuce; conceduntur amigdalæ, pistacia, passulæ; pira, seu cotonea in fine omnis cibi, ac potus sunt laudabilia, item & cocta cum bono uino, uel sub prunis, quo uerò tempore non reperiuntur, uti potest citoniato, uel coriandris præparatis, item potest sumere auellanas assatas, & amigdalas cum saccharo.

Oua recentia, sorbilia, uel in aqua post fractionem decocta, sine, caseo, & cum modico omphacij condita conueniunt, dura, uel frixa, & non recentia relinquantur.

In cœna minus comedat quàm in prandio, ferculumq; cœnæ tempore non edat, neq; altera uice cibum capiat, nisi primò percipiat iam assumptam escam exiuisse de stomacho, & nisi famem habeat certam, in fine cœnæ & prandij, comedenda est buccella panis torrefacta ad ignem, dum tamen non nigrescat, sine aliquo potu.

Balneis uti potest naturalibus aluminosis. ♀

## F I N I S.



Emireris felicis ingenij Iureconsultum de re medica tam diligenter tractare nam cum is uertigine diu multumq; laborauerit, periculo hæc didicit suo.

Iac. Ant. Bonus.

Permitente Sanctissimæ Inquisitionis  
Officio excussa hæc fuere.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.


3. 18, formæ, forma, 19. Scothomæ, Scothome. 25. Alganaran, Alghaa  
Pan 4. 14 & cum, aboletur &. 5. 16. iudicare, indicare. 8. 10. incidit, incedit.  
10. cedat cadat. 9. 15. et, se. 14. 1. lamearum, lamiarum. 13. 37. imaginatio-  
nes, adde, erunt nix, aqua, grando, et alia huiuscemodi. 15. 19. tuncant, timeāt.  
18. 2. cituniorum, citomorum: cetera, si qua sunt, suo Marte quis corrigat.

VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

Virtus tamen rationem, quam diximus hanc, raro obseruauimus, pro ratione namq; erat, non qualitas, sed escarum quantitas.



Anno - 1565 -